

112. Quoad alteram Probationum Classem, considerat ea partim attributa & proprietates DEI essentialis, quae Christo passim tribuuntur: partim etiam ex operibus externis & cultu adorationis, solius DEI proprio, Divinitatem Filij astruit.

113. Prioris generis sunt I. Aeternitas. Ies. 9. 6. Ioh. 1, 1. 17, 5. 1. Ioh. 1, 2. Mich. 5, 2. &c II. Infinitas, vel omnipraesentia, cuius respectu Christus ubique adest, ubique dominatur, ubique opitulatur, omnia denique implet, Matth. 18, 20. & 28, 20. Marc. 16, 20. Eph. 1, 23, & 4, 10. &c: III. Omniscientia Matth. 9, 4. 12, 25. Ioh. 2, 24. & 25. c. 16, 30. c. 21, 17. &c: IV. Omnipotentia Ioh. 5, 19. &c:

114. Posterioris generis sunt, Creatio, providentia, Conservatio rerum omnium, Collectio Ecclesiae, Institutio Sacramentorum, Opus redemptionis, Resuscitatio mortuorum, Miracula planè divina: Quae sanè omnia Divinitatem Filij aperte & invictè astruunt.

115. Tribuuntur autè haec omnia passim sacris in literis Christo: ut Ioh. 1, 3: 5, 17. & 19. Eph. 1, 7, & 10, & 23. 3, 9. Col. 1, 16. & 17. Hebr. 1, 2. Hebr. 11, 3. Ioh. 5, 26. 6, 39. & 40.

116. Quoad cultum Adorationis religiosae, hunc quoque Christo deberi, & exinde Divinitatem eius patere, Sacratum tursus literarum testatur.